

Todtenklage gilt dem Grafen Raimund (Ramon), von dem die *Annales Barcinon.* (SS. XXIII, 2) melden: '1017 Obiit Raimundus Barchinonensis comes, filius Borelli comitis'. Sein Vater hatte ihm die Nachfolge 993 hinterlassen. Vgl. über ihn Schäfer, *Geschichte von Spanien II*, 294; Dozy, *Geschichte der Mauren in Spanien II*, 181, 199, welche beide aus unserem Gedichte ergänzt werden könnten.

III.

Incipit epistola Gosberti ad Parisienses Goselmum
et Gualterum sibi suimet anima cariores.

Cum omnis eloquentiæ doctrina et omnium liberalium studiorum disciplina latinam educaret infantiam uelud mater Grecia, nec aliquis adhuc lior sapientiæ lumen obumbrarat uel spes nulla laboris magistrorum linguam astrinxerat, maiores quidem nostros triplici floruisse scientia reperio. Nunc autem ut ex toto sapientiæ iam deficit honor, sic eius etiam intimus amor. Studiis igitur neglegentia languentibus uix una in omnibus scintilla scientiæ percipitur. Hac enim tempestate doctissimis doctior minor¹⁾ est ut legitur antiquorum minimo. Cum sit itaque nunc paucorum utcumque super finem attingere artium, sunt quidem a quibus iam eorum quibusdam omnino supersedetur, ut a Gallis grammaticæ, ab Italis uero matheseos disciplinæ. Grammaticam namque simulantes breuitatis uix uisu patiuntur Francigenæ uolumina Prisciani. Hoc ergo attendens, carissimi, quod amica grammaticæ Italia me diu diuque insudantem docuerat, uestreque communi utilitati ascribere non fuit inuidia, quatinus non minus quam in ceteris Francigenas et in hac sua Italos uestri excellat prudentia. Uobis itaque Priscianum competenter²⁾ transformatum non magis rerum ipsa commendat mirabilis utilitas, quam maternæ breuitatis accurata diligentia. Regulas quippe summam decerpsimus, rationum quoque et exemplorum necessaria tantum perstrinximus, ut nec tamen in paucis obscuritas nec in multis aliquibus superfluitas. Haec igitur epithonia, quod est adbreuiatio, studiosis quidem summa est utilitatum collectio, tediosis autem plurimorum sub paucis traditio memoria est etiam obliuiosis anchora tenacior. Quam licet nonnullorum aspernetur inuidia, ars non commendabit et operum utilitatis³⁾. Uobis itaque placeat, carissimi, quod caritas operatur pauperis ingenii, et mea, inquam, non arguatur presumptio, sed constricta Prisciani attendatur ratio. Eum equidem totius operis sequitur gloria, me autem Gosbertum sudor et garrula quorundam inuidia.

1) minus Hs. 2) compotenter Hs. 3) Man erwartet: ars tamen commendabit et operis utilitas.